Quelle: https://manuscripta.at/?ID=236
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



iuramentum dauid seruo meo usq; in eternum stabilibo semen tuum. Et edificabo in generacionem et generacionem sedem tuam. Confitebuntur celi mirabilia tua domine etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum. Quis enim in nubibus equabitur domino similis erit domino in filijs dei. Deus qui glorificatur in consilio sanctorum magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius. Domine deus virtutum quis similis tibi potens es domine et veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris potestati maris motum autem fluctuum eius tu mitigas. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum in brachio virtutis tue dispersisti inimicos tuos. Tui sunt celi et tua est terra orbem terre et plenitudinem eius tu fundasti aquilonem et mare tu creasti. Thabor et hermon in nomine tuo exultabunt. Tuum brachium cum potencia. Firmetur manus tua et exaltetur dextera tua. Iustitia et iudicium preparacio sedis tue. Misericordia et veritas precedent faciem tuam. Beatus populus qui scit iubilacionem. Domine in lumine vultus tui ambulabunt et in nomine tuo exultabunt tota die et in iustitia tua exaltabuntur. Quia gloria virtutis eorum tu es. Et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Quia domini est assumptio nostra et sancti israhel regis nostri. Tunc locutus es in visione sanctis tuis et dix